

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Plurimùm Reverendo, Religissimo ac Clarissimo Auctori, Domino P.  
Procancellario meritissimo.

---


[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](#)

(+)

Plurimum Reverendo, Religiosissimo ac Clarissimo

A U C T O R I ,

Domino P. Procancellario meritissimo.



ODE.

**E**xi, nec lateas, liber beate!  
Lucem quid refugis nitente sole  
Doctrinæ Angelicæ? suis Aquinas  
Affulget radijs. Apollo nullus  
Tantundem potuit: feras nec Orpheus  
Qui emovit Cytharâ potente sylvis.

Nec

PRECEZOB

DE

1611

EW

23



Nec qui dulcisonis modis Arion  
Delphinas sibi fecit obsequentes.  
Tu non Euridicen vocas ab antris  
Infaustis Erebi, canisve custos  
Commentis veterum celebris Orco  
Objectat caput, & rapi dolens fert  
Consortem Thalami à canente chordâ,  
Quam movit Lyricen manu perita.  
Tu majora cies, Typoque promis.  
*Dominus*  
Hæc ipsos etiam Deos requirunt  
Vestes, ac superis probata vulgant,  
Et glebas animant faces supernæ.  
Gustant Ambrosiam, Deumque cernunt  
Per Te Terrigenæ, liber beate.  
In Summa hæc legitur, probent quod omnes,  
Non hi, qui speculantur alta solum,  
Et qui mente Deos adire tentant.  
Sunt hæc, quæ Themidi placere possunt.  
Legum jure legent opus periti.  
Magna hæc utilitas latet patenti  
Expromentur opes, Tagum feracem  
Auri quæ superent, Tuasque, Cræse,  
Gazas, ponderat hæc Themis, probatque.  
Hoc Emblema notat, tenetque firmum.  
Absit Zoilus! is nihil timetur;  
Nam fungi genus est parùm aestimandum.  
Bubones metuent, liber, nitorem.  
Disperdes tenebras opinionum.  
Palmam ipsæ tribuunt Tibi Camœnæ  
Majorem veritæ, suasque victæ  
Submittunt cytharas Tibi in trophæum.  
Quæ Titan jubat, invehitque lucem,  
Et quod præcipites agit caballos,  
Illuc Tu veniens timere noli.  
Exi digne legi liber beate.

Unanimi plausu gratulantur

*Decanus, ceteriq. Professores Facul-*  
*tatis Juridicae Salisburgensis.*

*AD*